



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Ioannis, dum in exilio ageret ad dominum migratione. Cap. XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

est ante, sepius vocauerat. Porrò cum grando magnitudine
in usitata in Suburbiis Constantinopolis forte decideret
(accidit hoc quidem Prid. Calend. Octobris eisdem Cos.
quos paulò ante citauit) percrebuit sermo istud; Deo irato
propter Ioannem indicta causa abdicatum, contigisse. Huc
sermonem Imperatoris mors, quæ illico insecura est, vehe-
menter auxit. Nam quatriduo post delapsam grandinem, è
vita decepsit. Erant alii, qui dicebant Ioannem meritò pro-
pterea abdicatum, quod quādo Ephesum, quo Heraclidem
Episcopum designaret, iter faciebat, tum Nouatianis, tum
illis qui Pascha ad decimum quartum diem mēsis primi ce-
lebrant, tum aliis nonnullis in Asia & Lydia multas eccle-
sias ademerat. Verùm vtrum iusta fuerit Ioannis abdicatio,
vt illi prædicabant, quorum animos offendisset, vtrum Cy-
rinus debitas conuictiorum pœnas dederit, vtrum denique
propter Ioannem tum grando deciderit, tum Imperatrix
morte occubuerit, an hæc non ob istas, sed alias ob causas,
an ob vtrasque Deus ipse viderit, qui occulta intelligit,
qui que de ipsa veritate iustus iudex est. Ego ea, quæ tum
crebro hominum sermone ferebantur, literis prodidi.

*Quod post Arsacium Atticus in Constantinopo-
litano throno collocatur.*

CAP. XVIII.

Arsacius non diu illum gessit Episcopatum, nam se-
quenti anno, ad secundum consulatum Stelichonis,
Anthenij autem primum, tertio Idus Novemb. mor-
tem obiit. Cum autem de Episcopo deligendo à multis ve-
hementer laboratum esset, & ob eam causam multum tem-
poris præteriret, proximo anno, Arcadio iam Sextum Cos.
& Probo primum, Atticus, vir pietate eximius, ex Sebastia
Armeniæ oriundus, monasticum vitæ genus ab ineunte a-
dolescentia excolens, doctrina sane mediocri, sed prudentia
naturaliter insita magis Valens, Episcopus Constantino-
politanus creatus est. Sed de eo plura commemorabo pau-
lo post.

*De Ioannis, dum in exilio ageret ad dominum mi-
gratione* CAP. XIX.

x

Ioannes

S O C R A T . H I S T O R .

Ioannes pulsus in exilium, Comanis ad Pontum Euxinum sitis exiuit è vita, decimo octavo Calend. Decembris, ad septimum consulatum Honorij & Theodosii secundum. Vir, vt ante docui, propter incredibile temperantiae studium iracundiæ potius, quām obseruantiae indulgens: qui cum adeo acriter temperantiam consestaretur, per omnē vitæ suæ cursum ore liberiore fuit. Evidem demiror, quid causæ esset, cur cum tam ardenti studio duceretur temperantiae, in quibusdam concionibus doceret temperantiam quodammodo contemnendam esse. Nam cum à Concilio Episcoporum illis, qui semel duntaxat post baptismum lapsi fuerant, locus pœnitentiae concederetur, ille non dubitauit dicere, si millies lapsus, pœnitentiam egeris, in ecclesiam ingredere. Ob quam doctrinam et si in aliorum multorum, etiam qui ei familiares erant, offensionem incurrit, tamen à Sisinio in primis Novatianorum Episcopo, qui librum contra hoc eius dictum conscripsit, grauiter exagitatus est. Cæterum ista iam prius acciderant.

De Sisinio Novatianorum Episcopo, & verbis inter ipsum & Ioannem vltro citroq; habitis.

C A P . X X .

HOCLoco tempus opportunum se offert pauca de Sisinio differendi. Vir erat, vt fæpe iam dixi, admodum disertus: in cognitione Philosophiæ venerat ad summum: atque cum in differendi scientia permultum posuerat operæ, tum in sacris literis explicandis erat apprimè eruditus, adeo vt Eunomius hæreticus propter eius in differendo acumen cum eo congregdi sæpenumero recusasset. In vicissim ratione non adeo parcus, sed in ea quidem, licet summa vitæ moderatione & temperantia esset, paulo fuit liberalior sumptuosiorq;. Deliciis & mollicie diffluere visus est, tum quod albo vestitu vteretur, tum quod bis in dies singulos in balneis publicis se lauaret. Qui cum quodam tempore